10

TENTAMEN
MEDICUM
DE
VENATIONIS UTILITATE
ET NOXIS,

Quod, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, Deo duce, & auſpice Dei-parâ, tueri conabitur, PETRUS-EMMANUEL DANDEL, è loco Tirieu, Diœceſis Lugdunenſis, apud Delphinates, Artium Liberalium Magiſter, & jamdudùm Medicinæ Alumnus, die menſis Aprilis anni 1774.

Prò Baccalaureatûs gradu conſequendo.

Fluxit in hos juvenum nunc mollis inertia mores
Deſeruere pilam, non flumina nando
Trajicere, & duris juvenilia membra paluſtris
Exercere juvat; ſed pictis ludere chartis,
Concertare ſcyphis, mimæque laſciva canenti
Atque tragœdorum quærulo plaudere dolori.
Vanierius in prædio ruſtico cap. 16 de Venat.

MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXIV.

TENTAMEN MEDICUM

DE

VENATIONIS UTILITATE ET NOXIS.

CORPUS humanum liquidis ſolidiſque inter ſe mutuo agentibus, à Principio Vitali motis, preſide animâ conſtat.

Ex tono, loco, motu debito, quantitate, qualitate, ſeu diatheſi propria liquidorum, horumque ſolidorum (1); et denique de actione animæ in ipſos fit conſpiratio (2) harmonica cui nomen ſanitas.

Sed mechanices & naturæ legibus cum corpus omne ad ruinam tendat, haud mirum videtur quod humana machina eamdem ſortem ſubeat.

Attamen hygienæ auxiliis fatum illud dimovetur, & ſanitas protenditur; normæ tantùm ſextuplæ obſervatione à majoribus noſtris commendata; aeris ſcilicet, cibi & potus, exercitii & quietis, ſomni & vigiliæ, excretorum & retentorum & animi pathematum; queis ex ſententia unius profeſſoris Illuſt. hujus Lycæi, coïtus addi poſſet, niſi eum inter excreta numerare liceret. Aſt vero venatoribus cum venus minimè ſit attributum (3) ultra & ad rem procedere expedit.

---

(1) *Rega* de fluid. ſtatu naturali. pag. 75. meth. med.

(2) Confluxio una, conſpiratio una, conſentientia omnia. Vid. *Hippocratem Marinelli* de alimento. V. 46.

(3) . . . . manet ſub jove frigido
Venator teneræ conjugis immemor.
Horatius Carm. lib. 1. *Od.* 1. *lib.* 25.

Quantum ſit connexa hygienes cum gymnaſticâ liquet; nam »gymnaſtica medica eſt ars quædam omnium exercitationum »facultates contemplans, eorumque varietates opere ipſo »edocens, gratiâ bonæ valetudinis conſervandæ (1) inter quas numerantur, deambulatio, vectatio, curſus, ſaltatio, geſtatio, navigatio, globorum, pilæ ludus, equitatio, peregrinatio, lectorum ſuſpenſilium oſcillationes, foſſio, frictio, verberatio, vociferatio, venatio & ſexcentæ aliæ quibus ſimul corpus, aut privatim quædam ejus pars exercetur.

De veterum erga gymnaſticam ſtudio, & de meritiſſimis neotericorum quærelis propter hujus practicæ neglectum ſilentio facto (2), ad demonſtrandam exercitationum omnium, & venationis præcipuè utilitatem, ad ſanitatem tuendam vel recuperandam, morbos à vita ſedentariâ & laboribus vacuâ oriundos; leviter tantum proſpicere ſufficiet.

Hic perpendenda veniunt.

1°. Vitalis Principii debilitatio; nam haud dubio magis eo viget quo corpus.

2°. Animi & corporis torpor (3); nempe genus omne exercitationum, fibrarum motricium, nervorum vires adauget; & propter amborum ſocietatem animi facultates acuit.

Tantum illud perſuaſum habebant veteres philoſophi ac medici, quod occultam futuri ſcientiam, ſub-dio, deambulantibus concedere non dedignabantur (4).

3°. Toni imminutio ac proindè nervorum, fibrarum muſculorum, vaſorum, & organorum omnium inertia, flaxiditas.

4°. Liquidorum omnium, & ſanguinis remiſſio; partium quibus fiunt & heterogenearum intempeſtiva ſegregatio, ſepo-

---

(1) *Mercurialis* in lib. de gymnaſticâ. lib. 1°. fol. 7.

(2) *Hoffmanus*, *Sanctorius*, *Mercurialis*, *Galenus*, & *Ill. Clerc Tronchin*, *Tiſſot &c.* & epiſtolam noviſſime editam de med. veterinaria.

(3) Segnities & otium humectant, corpus debilè faciunt. *Hipp.* lib. 2 de diæta.

(4) *Platinus* de tuenda valetudine pag. 145, & *Seneca* de tranquillitate, lib. 1°. pag. 56.

ſitio inconcinna, ſtagnatio, alteratio; nam phyſicis conſtat, quod partes heterogeneæ, gravitate, mole, figurâ variæ, fluido cuilibet immerſæ, motu vehementiori agitatæ, indiſtinctè, una ſimul ferantur; motu vero imminuto unamquamque ſingulatim in locum ſuum ſe recipere, juxta horum gravitatem ſpecificam. Propter ſanguinis motum retardatum, fibrarum & aliorum organorum ignaviâ, ſpiſſatur ſanguis lymphaque; vaſa capillaria, viſcera, glandulæ obſtruuntur.

Principii Vitalis energia obtunditur, hinc ſecretionum & excretionum difficultas, humorum ſecretorum vitiatio, & ſæpiſſimè interruptio; hinc morborum congeries qui à cauſis prædictis derivari poſſunt (1).

Strages ſupra narratas dimovent gymnaſticæ exercitationes (2), venatio præſertim nam virtutes varias, muſices, deambulationis, peregrinationis, navigationis, vectationis, vociferationis, equitationis coadunare valet; quia in omni tempeſtate, in vallibus, & montibus ad vires venatorum facillimè accommodabilis celebranda patet; quia ſimul omnia corporis ſolida, humores, animamque ſenſationibus validis, ſtimulantibuſque, ſuaviter movet. Ideo cæteris exercitiis anteponenda videtur: de cujus præſtantiâ ſuaſus *Galenus* ait. »illos naturæ »humanæ peritiſſimos, & ſapientiſſimos haberi debere qui leporum, cervorum, aprorum, cæterorumque animalium inſecta»tionem, nec-non aliam quamlibet venationis formam adinvene»rint, voluptate, oblectamento horum laborem temperantes (3).

Tantoperè illam exiſtimaſſe in medicina primævi noſtri *Eſculapius*, *Machaon*, *Podalirius*, *Mithridates*, ut non minus venationi quam medicinæ ſtudio, operam navaſſe legitur in

---

(1) *Aretæus* de cauſ. & ſig. morb. lib. 10. cap. 10. in præcipuas cachexiæ cauſas ponit ab exercitationibus quietem, & ab ingentibus laboribus otium.

(2) *Avicenna* aſſerit lib. 10. cap. 10. Homines poſſe ſi debîto tempore, exercitio, ac labore uterentur omnibus Medicis carere & medicamentis. *Muſitanus* exclamat ô utinam exercitium vendi poſſet à Medicis, nam ditiores evaderent, lib. 3. cap. 19. pag. 288.

(3) Vid. *Galenum* in lib. de parvæ pilæ ludo.

Xenophonte de venatione ;(1) quibus jungi poſſent ſententiæ *Plinii*, *Plutarchi*, *Celſi*, *Mercurialis*, &c. & Illuſt. Recentiorum *Baglivii*, *Verulamii*, *Stahlii*, *Hoffmanni*, *Tiſſoti*, *Tronchini*, *Jouberti*, *Fabri*, *Bordeu* & omnium quum de neceſſario corporis exercitamento ſcripſerint.

Hic tantum de venatione moderanter celebranda agitur, loci, tempeſtatum, idyoſincraſiæ ratione habitâ, immodicam quippe omnia fere ſequuntur incommoda quæ à nimiâ exercitatione oriri experientia demonſtravit (2).

Sanguinis enim humorumque omnium motu præternaturaliter aucto, ſolidorumque actione diutiori, viſcerumque ſuccuſſionibus nimiis, ſudoribus largioribus excitatis, pars aquoſa diſſlatur, ſanguinis ipſius denſitas augetur propter quam vaſa permeare nequit; hinc obſtructiones, rupturæ vaſorum, inflammationes & innumera alia ſoboleſcunt (3).

In Paluſtribus locis, ruſticulas, querquedulas, anates inſectantibus, ob tetros halitus, & cœlum impurum, non raro accidunt omnia febrium genera & præſertim intermittentes, quarum ad curationem neglecto chinæ-chinæ, & aliorum remediorum uſu, venationem tantum modicam ſub ſalubriori cœlo ſuadet *Ramazzini*. Variæ quoque tempeſtatum inclementiæ incautis venatoribus, pleroſque morbos afferunt ob frigoris vel caloris vehementiam; uti catharros, raucedines, pleuritides, cephalalgias, inſolationes, hemorrhagias &c.; (4) queis apta adhibenda ſunt remedia, purgationibus, ſudoriferis, & phlebotomiis parce adminiſtratis; nec nimia diæta macerandi ſunt, ne vires magis atterantur juxta *Galeni* ſententiam.

Aſt vero venatûs exercitium moderanter captum, motu quem

---

(1) Vid. *Xenophontem.*

(2) Evacuatio inſenſibilis quæ fit ab exercitio immoderato impedit ne ſucceſſivè remittatur quod amittitur, imo ſi eadem perſeverarit violentia corpus adeo leve redditur ut de futura tabe verendum ſit. Vid. ſanctorium de exerc. & quiet. Aph. 8.

(3) Vid. *Rega* cap. 4. de part. ſolid. ſtat. nat.

(4) *Ramazzini* de morbis artif.

omnibus corporis partibus impertitur ; ſolidorum tonum roborat ; ſanguinis fluiditatem, circulationem juvat; ſuccorum digeſtivorum , nutritivorum & aliorum omnium ſecretionibus opitulatur (1).

Excretiones , inſenſibilem perſpirationem juvando , acria , terreſtria , ſalina , oleoſa , impura denique omnia ejicit (2) ſtagnantia feſtinat ; animam, nervos , tubarum , cornorum modulationibus (3), canum latratu, ruris amæna varietate; laborum ſucceſſu , ineffabili voluptate movet.

Ex jàm allatis concludi poteſt venationem , pedibus , equo , rheda , navi (4) , juxta morbi genus celebratam aptiſſimam eſſe in atonia generali conſtitutionis , anorexiâ , bradypepſiâ , in obſtructionibus , œdematibus , phtiſi , arthritide incipientibus , in malo præſertim hypochondriaco , melancholicò , in omnibus ferè chronicis affectibus (5) in morbis à colluvie ſeroſa oriundis , & poſt acutos ad vires obrutas morbo , & remediis refocillandas.

Denique tandem venationis exercitamentum corpus obdureſcit (6) , à morbis epidemicis præſervat (7) vitam protendit

(1) Nec-non quaquâ die juſto exerceto labore
Corpus , vel pedibus gradiendo , vel quid agendo
Quo motu caleant artus , nam cauſa caloris
Eſt motus , ſtomachumque juvat roborque reducit
Humoreſque ſupervacuos putreſque reſolvit.
Marcellus Palingenius in vitæ Zodiaco , pag. 136.

(2) *Sthal.* in fund. Chemicis dogm. *Boheraave* de morbis aph. 80. *Borelli* de mot. animalium prop. 35.

(3) Rêveries du Maréchal de *Saxe* pag. 27.

(4) *Verulamius* lib. 4 de augmentis ſcient. cap. 1°. monet vix aliquam in morbum inclinationem inveniri quæ non exercitatione quadâm propriâ corrigi poſſit.

(5) Vid. *Sydenhami* opera.

(6) Propterea quo quiſque magis ſeſe motibus effert hoc magis inde valet..... *Hebeinſtreet* de hygiene.

(7) Venatores tantum ſalvos ſuperſtitiſſe propter eorum quotidianos labores , quum patriam ejus peſtis ferociſſima devaſtarit narrat *Rhaſes*.

(1) animam exhilarat, & normâ ruſticâ, alacri, incurioſâ, frugali quâ utuntur, venatoribus, ſanitatem præbet qua primitivus homo fruebatur antequam legibus & nocivis modis ſocialibus ſerviret.

---

(1) *Collumella* in præfat. aſſerit marcum Valerium-*Corvum* centeſimum annum complevïſſe, ſuffeciſſe que integris viribus corporis, ſpecioſiſſimis Rei-Publicæ miniſteriis, venatibus aſſiduis, agreſtibuſque exercitamentis operam dando.

»Itaque nullo pacto mirari debemus ſi Mithridatem quem »uſque adeo ſanitatis, & medicinæ ſtudioſum fuiſſe ſcimus; »venationi ita operam dediſſe legimus, ut ſeptem annis »neque urbis, neque ruris tecto uſus ſit.

Mercurialis Lib. 5. de arte Gymnaſtica.

DISPUTATURI.

R. R. D. D. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*
R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex Adjunctus.*
R. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*
R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.
R. D. CAROLUS LE ROY.
R. D. GASPAR-JOANNES RENÉ.
R. D. ANTONIUS GOUAN.
R. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus, Profeſſor Emeritus.*